

solet. Imo aliquando, ob defectum rerum a medico præscriptarum, alias herbas vel species admiscet, ne officina sua deseratur, aut ne medici, hujusmodi defectum rescientes, ad alium recurrant.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An, vel quomodo GETULIUS contra justitiam peccaverit?*  
 2<sup>o</sup> *Quid, si loco unius rei tantum, sibi deficientis, rem aliam suo judicio æque bonam aut meliorem pro morbo ægroti cognito subministret?*  
 3<sup>o</sup> *Si infirmus rescierit medicinam non fuisse traditam juxta medici præscriptum, teneturne eam solvere, præsertim si nullum exinde senserit effectum?*

SOLUTIO :

29. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* GETULIUS multipliciter contra justitiam peccavit, scilicet : 1<sup>o</sup> quia res nullius pretii pro veris mercibus vendidit, cum detrimento ementium, qui noluerunt res ejusmodi sibi comparare, nec proinde contractui consensum dederunt; 2<sup>o</sup> quia res nullius virtutis pro efficacibus remediis tradidit, cum jactura sanitatis infirmorum, qui periculo mortis vel tardioris convalescentiæ expositi sunt; 3<sup>o</sup> quia nocuit etiam medicis, qui famæ imminutionem etiam pati potuerunt, ex eo quod præscripta ab eis remedia nihil aut parum profecerunt. *Elbel, de Contr. in genere, n. 304.*

30. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Id tolerari potest in aliquo casu particulari, ex rationabili causa, v. g. ne officina deseratur, propter defectum insolitum alicujus rei quæ brevi comparabitur, modo res alia quæ traditur reapse sit æque bona, utilis et proficua, seu conducens ad usum et finem comparantis; tunc enim præsumi potest ementem non esse rationabiliter invitum. Hoc tamen difficile permittendum est, quia cupiditas lucri facile vendentem inducere potest ad res minoris pretii, loco remediorum præscriptorum, tradendas. *Elbel, ibid., n. 305.*

31. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* 1<sup>o</sup> Si medicina fuit omnino aliena a præscripto medici, aut composita ex rebus jam exoletis et nullius virtutis, emens non tenetur pretium pro ea solvere; quia error fuit substantialis in contractu, et proinde corrumpitur ipse. 2<sup>o</sup> Si vero res diversa fuit in aliqua specie tantum minus notabili quam illa quæ fuit a medico præscripta, valet contractus, et emptor ad pretium rei solvendum obligatur; quia adhuc, juxta moralem existimationem, censetur esse eadem medicina a medico præscripta. *Elbel, de Contr. in gener., n. 306.*

## CASUS

### DE STATU CLERICALI

#### SEU

*De Vocatione clericali, de Officiis Clericorum, de Breviario, de Obligationibus Parochorum, Vicariorum et Canonicorum.*

#### CASUS I.

##### VOCATIO CLERICALIS.

1<sup>o</sup> ALBINUS, peractis studiis, statum clericalem suscipere proponit. Sed Confessarius, cognita ejus vita, perpensisque dispositionibus, dubius et anceps non audet pœnitentis propositum approbare. ALBINUS pergat ad alium, a quo nec certum responsum obtinere potest. Interea vero, cum a superioribus ad sacros Ordines advocatur, dubium omne excutit ipse, resolutio animo ad subdiaconatum accedendo.

2<sup>o</sup> DAVIUS, absoluto sacrae theologiæ curriculo, repente spreto Confessarii monito, et seminario et vocationi valedicens, subridenti mundo et subridet ipse. Sed paulo post, cum confiteretur, acriter increpatur a Confessario, eo quod graviter peccaverit derelinquendo vocationem, et ei denegatur absolutio, nisi statim redire ad seminarium promittat. DAVIUS autem recusat obtemperare, quia vocatio est de *consilio*, non vero de *præcepto*.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An detur vocatio graviter obligans ad clericalem statum amplectendum; et quomodo dignoscatur?*  
 2<sup>o</sup> *Quomodo peccet ille qui Ordines sine vocatione suscipit?*  
 3<sup>o</sup> *Quid agendum foret erga eum qui sine vocatione Ordines sacros suscepisset?*  
 4<sup>o</sup> *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO :

32. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* 1<sup>o</sup> Certo datur vocatio divina ad Sacerdotium. Constat ex clarissimis Scripturæ sacrae testimoniis. Sic (Heb. v. 4) : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* — Et (Joan. xv. 16) : *Non vos me elegistis, sed elegi vos.* An vero hæc vocatio obliget sub gravi? Affirmandum videtur, quando signa indubia vocationis habentur, id est, ob maxima salutis pericula in quibus versabitur ille qui, sprete vocatione divina, proprio Marte, aliquem statum mundanum amplectitur. Hinc ait S. *Lig.* hanc vocationem tanti esse momenti, ut ab ea pendeat æterna salus, tam ordinandorum, quam multorum fidelium.

2° Signa autem præcipua divinæ vocationis sunt : aptitudo candidati a Superioribus agnita, vitæ probitas, et recta intentio, seu desiderium vacandi divinæ gloriæ et saluti animarum.

33. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Gravissime peccat, quia ille non pastor ovium, sed fur est et latro, qui non intrat in ovile per ostium ovium. « *Illi igitur*, ait S. Lig., *qui, non vocati a Deo, in sacra ministeria se intrant*, ipsi sunt de quibus per Jeremiam (xxiii. 21) : *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant*, quo quidem hominum genere, ait Catechismus Romanus, nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiæ calamitosius esse potest. » S. Lig. n. 803.

34. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Seriam agat pœnitentiam, ita ut, si non sit absolute inhabilis, gratias vocationi divinæ annexas a piissima Dei misericordia obtineat, et sacra ministeria obire valeat cum sui et aliorum spirituali profectu. Præstantius foret, si seipsum integre Superiori manifestaret; sed saltem conscientiam integre Confessario aperire debet. In casu vero in quo nullo modo sit habilis ad sacras functiones, nec evadere possit, *res deferenda erit Episcopo, qui, pro sua prudentia, secluso in quantum fieri poterit fidelium scandalo, hunc Clericum a sacris ministeriis amovebit*. Casus autem istiusmodi rarissimus erit, siquidem difficile est ut quis omnino inhabilis a Superioribus admittatur, nisi ille per fraudem inter ordinandos irrepserit.

35. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* 1° Peccavit graviter ALBINUS, sponte sua, posito tanto dubio, in statum clericalem se ingerendo. Expectare debuisset, donec difficultas saltem ab uno Confessario soluta fuisset. Post factum vero pœnitentiam agat, et dotes, præsertim vitæ sanctitatem, sacris Ordinibus congruas, acquirere satagat.

2° DAVIUS sane male egit, Confessarii monita contemnendo, posita morali certitudine vocationis; et magno salutis periculo exponetur. Attamen rigidius agit Confessarius secundus, absolutionem ei denegando. Satius fuisset eum adhortari, ut ad seminarium rediret; quia difficile constat de vera vocatione in tali casu, et minus erit malum si DAVIUS malus sit laicus, quam si pravus Sacerdos evadat.

## CASUS II.

### CLERICI DOTES.

1° BENITIUS, virtute quidem insignis, sed ingenio admodum tardus, in examine de doctrina et idoneitate *inventus est minus habens*, adeoque a sacris Ordinibus suscipiendis amotus. Nihilominus ille enixis precibus effusisque lacrymis Superiores obsecratus est ut ipsum promovere velint ad Missam tantum celebrandam, propriæ sanctificationis et devotionis intuitu.

2° AMANDUS, ad subdiaconatum promovendus, præclaris quidem animi dotibus et conspicuus, sed virtutibus mediocris valde; imo in prava peccandi consuetudine versatur. Tunc vero contritione vehementi percitus, a Confessario obtinet non solum absolutionem a peccatis, sed etiam facultatem ad subdiaconatum suscipiendum accedendi.

HINC :

QUÆR. 1° *Quænam dotes ad Sacerdotium requirantur?*

2° *An candidatus, scientia destitutus, promoveri possit ad Missam solum celebrandam?*

3° *An habituatus in vitio turpi ad Ordines sacros admitti possit, si emendationem seriam promittat; et an absolvi possit, si accedere paratus sit?*

4° *Quid ad varios casus?*

SOLUTIO :

36. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Dotes ad Sacerdotium requisitæ sunt : 1° ætas per sacros Canones requisita; 2° scientia Ordinibus et functionibus sacris obeundis a Concilio Tridentino præscripta; 3° vitæ probitas, et præsertim vocatio divina. *V. Comp. de Ordin. n. 709 et seq.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Neg.*, si omni prorsus scientia sit destitutus. Ratio est, quia ignarus ne potest quidem rite Sacrum peragere, rubricas intelligere, etc. Insuper Concilium Tridentinum absolute requirit ut initiandi ad Ordines quoque minores latinam linguam intelligant, et ordinandi Sacerdotes, ad populum de necessariis edocendum ministrandaque Sacramenta, idonei reperiantur. *Sess. 23, c. 4 et seq. de Reform.* Dicunt tamen communiter cum S. Thoma et S. Lig. requiri minorem scientiam in Religiosis unice ad chorum destinatis, ut sunt Carthusiani, etc. An vero ordinari possint regulares præfati, etiamsi notabiliter in linguæ latinæ intelligentia deficient? Affirmant nonnulli; sed S. Lig. non audeat id approbare, quia, ait, si in sæcularibus initiandis tantum ad Ordines minores requirit Trid. ut saltem linguam latinam intelligant, quomodo Regulares ordinari poterunt ad Sacerdotium adhuc in lingua latina deficientes.

37. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. Negandum* videtur ex sententia S. Lig. *de Sacram. in genere, n. 64.* Non sufficit enim quod sit dispositus ad Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum. Ratio est, quia non satis est si in statu gratiæ hic et nunc versetur ordinandus, sed adhuc habere debet probitatem positivam, tam sublimi statui necessariam. Proinde graviter peccat, si absque illa sacrum Ordinem recipere statuit. Confessarius igitur eum absolvere non potest, nisi ab Ordine suscipiendo abstinere promittat, donec, per longi temporis, saltem plurium mensium, probationem, dignus reperiat. Et revera, juxta communem Doctorum sententiam, ad Sacros Ordines recipiendos non sufficit bonitas communis, id est simplex immunitas a peccato mortali; sed requiritur etiam bonitas specialis, vi cuius ordinandus sit a pravis habitibus exemptus. *S. Lig. de Sacram. in gen., n. 64, et in Praxi Confess. n. 78,* ubi, post S. Thom., excipit casum compunctionis tam extraordinariæ, quæ illum ordinandum ab antiqua fragilitate liberaret, ita ut subito sanctitatem perfecte consequeretur. Attamen, ait iterum S. Lig., in hoc casu Confessarius quantum potest pœnitentem inducere debet ad differendam Ordinis susceptionem, ut melius se purget a pravo habitu, et proposita concepta melius exsequatur.

38. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* 1° BENITIUS, ut videtur, defectu scientiæ sufficientis ordinari non potest, nisi Ordinem religiosum ad chorum destinatum ingrediatur, et habeat insuper ad hunc statum scientiam supra requisitam. Posset etiam in aliqua capellania constitui, in qua Missa tantum celebranda foret.

2° AMANDUS non debuit admitti a Confessario ad Ordinem subdiacnatus recipiendum, juxta superius dicta; sed remittendus fuit saltem ad aliam ordinationem, ut interea experimentum boni propositi faceret, et argumentum solidæ conversionis et veræ sanctitatis exhiberet.

## CASUS III.

## CANDIDATUS AD CLERICATUM, LACRYMABUNDO.

BASILIUS, curriculo scholarum inferiorum ad philosophiam usque peracto, quam maxime cupit statum clericalem amplecti, adeoque statuit postulare ut in seminarium majus, ad studiis philosophicis et theologicis vacandum admittatur. Sed, re Confessario prius subjecta, ab eo prorsus cohibetur. Quare igitur obsistit pater spiritualis? Numquid idoneitate ad Ordines requisita caret? Ecce: BASILIUS a tribus vel quatuor annis fuit habituatus in vitio turpi, et ideo jussu Confessarii a Sanctuario arceatur. Instat pœnitens, emendationem seriam promittit, verbis, promissisque magnam lacrymarum copiam miscet. Sed surdo canit; neque precibus, neque proposito, neque lacrymis movetur Sacerdos.

HINC :

QUÆR. *Quid tenendum de sententia Confessarii : an probanda, vel improbanda?*

SOLUTIO :

39. — *R.* Difficile est valde, æquum ferre judicium circa judices in foro interno constitutos : possunt enim moveri variis rationibus maxime fundatis quæ nos lateant. Multi sunt casus, qui ex solis circumstantiis intimisque causis solvi possunt. Generatim, ex sola casus expositione, nimis dura videtur Confessarii sententia. Etenim, si actualis conversio BASILII seria apparet, ut reapse videtur, et de cætero aliis polleat dotibus ad statum clericalem amplectendum, inspecta ejus efflagitatione et cordis compunctione, quare experimentum ipsi denegaretur? Nonne fieri potest ut perfecte emendetur? Cæterum nullam obligationem hic et nunc suscipit. Si res non succedat, alius Confessarius aliam feret sententiam, quando de obligatione contrahenda castitatis perpetuo servandæ agetur.

40. — Nec obstat vita præterita, licet habitu turpi diu polluta, quia non præterita sed præsens dignitas requiritur. Quot sancti Sacerdotes et Episcopi, præeunte S. Augustino, quorum vita laicalis illibata non permanserat!

## CASUS IV.

## OFFICII DIVINI OBLIGATIO.

MAGLORIUS, Sacerdos, de rebus theologicis cum pluribus sociis conferens, sequentia indubitanter asserit :

Scilicet : 1° septem peccata mortalia patrare Clericum in Sacris, vel alium ad Horas canonicas obligatum, si Officium integrum unius diei omiserit; quia Horæ singulæ, quæ septem numerantur, seorsim sub gravi obligant.

2° Peccatum mortale committere Clericum, qui unicum psalmum ex Hora minori, v. g. ex *Tertia* vel *Sexta*, omittit; quia psalmus est pars notabilis, seu 3<sup>a</sup> pars circiter Horæ sub gravi obligantis.

3° Graviter peccare Sacerdotem, qui Horam aliquam etiam parvam recitat cum distractione voluntaria, aut ex gravi negligentia habita, nisi recitationem ex integro et devote iteret, quia volutarie distractus non orat, cum Deum offendet, nedum colat.

Ita MAGLORIUS, *contradicientibus* vero sociis; quare contentio acerrima inter eos inducitur. Disputarent adhuc, nisi nox ingruens liti finem adduxisset.

HINC :

QUÆR. 1° *Quænam sit Officii divini obligatio?*

2° *Quænam materiæ omissæ quantitas ad peccatum grave requiratur? An psalmus sufficiat? An plura dentur peccata gravia, si totum Officium omittatur?*

3° *An reapse mortaliter peccet qui est distractus seu volutarie, seu ex negligentia gravi per partem alicujus Horæ notabilem?*

SOLUTIO :

41. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Obligatio divini Officii pro Clericis in Sacris urget sub gravi singulis diebus, et est ipsi diei affixa, ita ut peccet graviter qui omittit Breviarium in die recitandum. Agitur enim de lege Ecclesiæ valde gravi.

42. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1° Materia gravis habetur in omissione notabilis partis divini Officii. Pars autem notabilis communiter reputatur omissio unius Horæ etiam parvæ, vel unius nocturni; imo, si nocturnum sit longum, ut in feriis, omissio ejusdem notabilis etiam peccatum grave constituet. Si quis autem omittat partem Officii Hora parva minorem, a peccato gravi excusatur. Hinc merito dicit *Lacroix*, peccare tantum venialiter Clericum qui psalmum unicum unius Horæ parvæ recitaret, etc., quia Horam hanc integram non omitteret.

2° Si totum Officium omittatur, unicum peccatum, non vero multiplex, committitur; quia, licet omissio unius Horæ, etiam parvæ, sit gravis, obligatio tamen Breviarii diurni unica est; secus enim Sacerdos Officium omittens, non tantum septem, sed etiam plura alia peccata, v. g. saltem tria pro Matutino non recitato, patraret, quod falsum est.

43. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Controvertitur. Probabilius* quidem peccat graviter qui est volutarie distractus per partem Officii notabilem; quia oratio sine interna attentione, non est oratio proprie dicta. Attamen opposita sententia vere *probabilis* a S. *Lig.* dicitur. Quare, licet in praxi quam maxime suadenda sit prima sententia, nunquam tamen recitans Horas volutarie distractus de peccato mortali certo argui potest. *V. Comp. n. 91.*

Hinc MAGLORIUS noster, *acerrime* potius quam *juste* disputans, in omnibus erravit. Illius igitur disputatio plus clamoris quam rationis habuit. In posterum faucibus parcat, et studio ante disputationem magis indulgeat.

## CASUS V.

## OFFICII DIVINI RECITATIO.

1° ADAMUS, Sacerdos, Matutinum recitavit in vigilia, hora licita, ex mera devotione, cum intentione illud repetendi ipsa die ante Missam, præcepto satisfaciendi causa. Sed, mutata voluntate, alteram recitationem prætermittit.

2° ANATOLIUS, ad Officium obligatus, aliquando *ex errore* et alias *scienter*, Officium aliquod pro altero recitavit, v. g. Officium alicujus Sancti pro feria, aut vice versa, vel unius Sancti pro alio; nec recitationem iteravit, hoc innixus axioma: *Officium pro Officio*. Postea tamen, cum rem ad Confessarium detulisset, de peccato gravi ab illo arguitur.

3° BARNABAS, Sacerdos, aliquando abstinet ab anticipanda recitatione Officii in vigilia, quamvis illud facile recitare possit, et insuper impedimentum pro die sequenti integra prævideat.

HINC:

QUÆR. 1° An ADAMUS, in primo casu, sub gravi ad Officii recitationem iterandam obligatus fuerit?

2° An, in secundo casu, peccati mortalis reus fuerit ANATOLIUS, ex eo quod in prædictis casibus Officium non iteravit? Et quid tenendum?

3° An advertens ad errorem in media recitatione, reliqua de Officio diei persolvere debeat?

4° An BARNABAS, in tertio casu, a recitatione excusatus fuerit?

SOLUTIO:

44. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Nego prorsus. Ratio est, quia vere obligationi suæ satisfecit, licet satisfacere minime intenderit; intentio enim præscriptum adimplendi non requiritur, sed sufficit ut opus præscriptum tempore debito ponatur. Ergo ADAMUS non peccavit, iterationem Matutini Officii omittendo, nisi forte ex conscientia erronea; imo etiam nolens satisfecisset, et per ipsum non stabat quominus non satisfaceret. *Vid. Comp. de Legibus, n. 103. — Ita S. Lig. de Legibus, n. 163. — Vid. Pontas, v. Office, cas. 16, contra Collet adnotatorem, ibid.*

45. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. 1° ANATOLIUS minime peccavit, ne venialiter quidem, quando ex errore Officium indebitum recitavit, quia nemo peccati ignarus peccat; nec tenetur Officium iterare, tunc enim valet axioma: *Officium pro Officio*. — 2° Secluso autem errore, et rationabili causa, ANATOLIUS peccavit quidem, sed venialiter tantum, nisi Officium recitatum alio recitando multo brevius sit, vel nisi id sæpe fecerit. Ratio est, quia præceptum quoad substantiam implevit. Peccavit autem graviter, si

recitavit Officium notabiliter brevius, quia tunc non satisfecit substantiæ obligationis; vel si sæpe sæpius id fecerit, quia hujusmodi consuetudo contemptum legis involvere videtur. *Vide Comp. n. 74, 75, 76.*

46. — R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Potest vel errorem corrigere statim ac ad illum advertit, vel Officium inceptum prosequi. *Ita communiter*. Attamen melius est Officium mutare juxta effatum: *Error corrigitur ubi deprehenditur. S. Lig. n. 160, quæst. 6°.*

R. ad 4<sup>m</sup> Quæst. *Affirmative*. Ratio est, quia Officium Matutinum, licet pridie recitari possit, non tamen necessario recitari debet. Ergo obligatio stricta non urget ante mediam noctem sequentem. Ergo non est ei antea necessario satisfaciendum. Ergo, stante impedimento a media nocte ad mediam noctem, BARNABAS ab obligatione Officii persolvendi excusatur. Attamen, si vir pius sit, recitationem in vigilia anticipare non omittet. *V. Comp. n. 67.*

## CASUS VI.

## TEMPUS HORAS RECITANDI.

AMELINUS, Sacerdos, parum curans de servando tempore singulis Horis proprio, utitur hoc principio: *Parum est, dummodo Officium intra 24 horas recitetur*: nempe a media nocte ad mediam noctem, addito etiam privilegio de anticipatione Matutini. Hinc alias, recitat parvas Horas summo mane, et Vesperas cum Completorio ante meridiem; alias Matutinum remittit ad unam vel alteram horam noctis vel diei; alias etiam, dictis Vesperis hora tertia pomeridiana, incipit statim Matutinum diei sequentis, licet semihora desit ad tempus requisitum pro initio recitationis, quia, ait, *parum pro nihilo reputatur*. Contrahit etiam consuetudinem Matutinum et Laudes, peracto jam Sacro, recitandi.

HINC:

QUÆR. 1° Quomodo peccet AMELINUS, mutando tempus Horis recitandis affixum?

2° An graviter peccaverit, Matutinum semihora ante diem ecclesiasticum recitando?

3° An peccatum mortale commiserit, ex consuetudine Matutini et Laudes post Missæ celebrationem recitando?

SOLUTIO:

47. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. 1° AMELINUS sane peccat venialiter, toties quoties sine rationabili causa ordinem temporis invertit, quia violat leges Ecclesiæ modum recitandi Breviarium determinantes. — 2° Non peccat nisi venialiter, *per se*, modo in die, seu a media nocte ad mediam noctem pensum persolvat, addito privilegio Matutinum in vigilia hora debita anticipandi. *Ita communiter*.

48. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. *Affirmat*. Ratio est, quia AMELINUS, recitando Matutinum semihora ante diem ecclesiasticum, violat substantiam præcepti, cum Matutinum die præscripto non recitet. Idem enim prorsus

est, ac si recitationem omnino omitteret. — Attamen existit aliqua controversia inter Theologos de hora qua incipit dies ecclesiasticus; et communiter quidem, ac verius juxta *S. Lig. n. 173*, traditur, illam esse, quæ media venit inter meridiem et solis occasum. Verum probabilitate etiam sua non videtur carere opinio tenens recitationem in eo casu esse validam, modo post horam secundam pomeridianam incepta fuerit. Proinde, si quis ex errore, ut aliquando fieri solet, Matutinum ante tempus in tabellis horariis præfixum, hora tamen secunda, recitaverit, ab iteranda recitatione excusari posset. In nonnullis locis, vel etiam in quibusdam Ordinibus religiosis, recenter concessum est privilegium Sacerdotibus, specialibus de causis, ut Matutinum diei sequentis recitare valeant ab hora 2<sup>a</sup> pomeridiana. *V. Comp. n. 65. — S. Lig. n. 173.*

49. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Nego* prorsus. Peccat quidem venialiter toties quoties id facit sine rationabili causa; nunquam autem graviter peccat, quia, ut declaravit Benedictus XIV, Rubrica præscribens recitationem Matutini ante Missam, sub veniali tantum obligat. Nec obstat quod ex consuetudine ita peragat, quia consuetudo violandi obligationem levem peccatum grave non constituit, siquidem peccata venialia multiplicata peccatum mortale non efficiunt. *S. Lig. de Euch. n. 347.*

## CASUS VII.

## ORDO RECITATIONIS.

NEMESIUS, Sacerdos, ex levi vel etiam nulla causa, vel ex oblivione, intervertit ordinem Horarum, recitando v. gr. *Tertiam* ante *Primam*, *Vesperas* ante *Nonam*, aliquando etiam Matutinum diei sequentis ante *Vesperas*, aut Completorium Officii præsentis. Sabbato quodam, dicto sub nocte primo nocturno Matutini dominicalis, vocatus est ad infirmum, et die Dominica dixit reliqua nocturna, quin primum iteraret.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quomodo peccaverit NEMESIUS in præfatis casibus?*

2<sup>o</sup> *An iterari debeat Matutinum, si nocturnum unum ab aliis tota nocte separetur?*

SOLUTIO :

50. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* NEMESIUS peccavit venialiter, toties quoties, absque rationabili causa, ordinem Horarum in recitatione intervertit, quia violavit legem Ecclesiæ sub levi tantum obligantem. Ratio est, quia inversio ordinis Horarum, sicut mutatio temporis, est quid mere accidentale. Hinc, si ex justa causa fiat, culpa vacat; si absque causa, peccatum veniale non excedit unquam. *V. Comp. n. 77.*

51. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Nego.* Ratio est, quia substantiæ præcepti satisfecit, cum Officium debito tempore persolverit. Ergo a peccato mor-

tali est excusandus NEMESIUS, licet noctem totam inter nocturnum unum et sequens interposuerit. Imo veniali etiam culpa vacat, cum id ex justa causa peregerit, seu ex officio caritatis, scilicet, ut infirmo succurreret. *V. Comp. n. 86.*

## CASUS VIII.

## RECITATIO CUM SOCIO.

BALBUS, Sacerdos, a puero linguam balbutientem sortitus, Breviarium recitando, mirum in modum verba syncopare et quodammodo deglutire solet. Cum, die quadam, ab ADRIANO ad Matutinum secum persolvendum invitatus fuisset, ita præcipitanter legere cœpit et syllabas plurimas præmittere, ut vix aliquis sensus lectionis aut psalmi a socio percipi potuerit. Imo, vix alter mediam versiculi partem recitaverat, cum ipse jam versiculum sequentem psalmi incipere festinabat. » Tardius, quæso, carissime, » sæpius aiebat ADRIANUS, BALBUM blande admonendo, « tardius, carissime! tardius, inquam, nec ita prophanter recites, quia nihil intelligere, vel etiam audire possum. » Sed surdo canebat. Tunc, ut majori occurreret incommodo, cum BALBO statuit ut, psalmis quidem alternative recitatis, ipse solus cætera omnia legeret.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An præcepto recitandi Horas satisfaciatur ille qui socium non intelligit, imo sæpius neque audit?*

2<sup>o</sup> *An præcepto satisfecerint BALBUS et ADRIANUS?*

3<sup>o</sup> *An satisfaceret ille qui cum surdo Officium persolveret, et an ipse surdus legem adimpleret?*

SOLUTIO :

52. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Satisfacit obligationi suæ qui socium non intelligit, quia nulla est obligatio intelligendi, sed recitandi suam partem, et audiendi alteram; secus enim Moniales et etiam Religiosi multi, linguam latinam non capientes, non satisfacerent: non potest autem iis imponi obligatio impossibilis. Insuper, qui idioma latinum sciunt, obligationem ab aliis diversam non habent: ergo satisfacit qui socium non intelligit, siquidem ea quæ ipsemet legit intelligere non tenetur.

2<sup>o</sup> Quid vero, si socium tuum ne audias quidem? *Controvertitur.* Alii dicunt te non satisfacere, quia oratio non potest fieri communis inter te et alterum, et proinde idem est ac si dimidiam partem Breviarii recitares, nisi submissa voce recites id quod non percipis, vel nisi pars non audita modica sit. *Reuter. — Lacroix.* Alii tamen non pauci censent te satisfacere, si attendis quantum potes, et ob defectum chori, vel socii, non percipis quæ dicuntur. Sic *Elbel, n. 446. — Tamburinus. — Sporer. — Roncaglia, etc., etc.* Ratio eorum est, quia tunc per societatem ipsam, et per tuam attentionem, censeris moraliter communicare in oratione, dum intendis Deo exhibere omnes laudes et preces quas chorus vel socius profert. Hanc opinionem satis probabilem dicit *S. Lig. n. 163*, ubi hæc addit :

« Præceptum enim hoc Officii ex benignitate Ecclesiæ benigne est interpretandum. E converso, valde erit anxietatibus obnoxium, quod socii in Officio semper solliciti esse debeant ad quamnam quantitatem pervenerit « omissio auditis, ut teneantur, vel non, repetere. »

53. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> BALBUS *probabilius* satisfacit suæ obligationi. Ratio est, quia, cum a puero habuerit linguam blæsam, defectus pronuntiationis videtur potius naturalis quam moralis, nec proinde ad culpam gravem imputari potest. Etenim hujusmodi hominibus balbutientibus tam naturale est verba syncopare, ut generatim aliter facere nequeant. Imo, sæpius quo magis recte pronuntiare conabuntur, eo pejus pronuntiant. BALBUS igitur a peccato saltem gravi excusandus videtur, neque quivis alius similis, noxæ mortalis reus habendus est, nisi defectus sit certo corrigibilis, et excessus sit enormis. *Elbel, ibid. — Gobat. — Layman, etc.*

2<sup>o</sup> ADRIANUS quoque satisfacisse censetur, licet valde imperfecte socium audiverit. Ratio patet ex modo dictis. Etenim fecit quidquid moraliter potuit ad BALBUM audiendum, tum aures attentas præbendo, tum etiam socium hunc admonendo, ne citius procederet. Ergo ejus recitationem rite sibi fecit communem, seu in oratione cum eo communicavit.

3<sup>o</sup> An vero ADRIANUS potuerit solus omnes lectiones et alia omnia, præter psalmos, legere, altero audiente tantum? *R. Affirmative.* Socius enim satisfacit, quia hæc audiendo sufficienter in oratione communicat, cum jam partem suam psalmorum recitaverit. Hoc præsertim valet in nostro casu, in quo melius est pro utroque ut BALBUS audiat, quam si legat. *S. Lig. n. 162. etc., contra Reuter.*

54. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> Satisfaceret sane ille qui cum surdo Officium recitaret, quia ex ipsius parte nihil deesset ad debitam recitationem, cum recte pronuntiet et audiat.

2<sup>o</sup> Surdus vero minime satisfaceret, quia, nihil omnino audiendo, in oratione communicare non potest. Hinc surdus assistens choro debet omnia submisso recitare. *S. Lig. n. 163, Quæ. 3, et alii contra Suarez.* Secus vero *probabiliter* dici potest de *surdastrò*, seu de eo qui difficulter audit, si attentionem præstet, et audiat in quantum potest, saltem si advertat in Breviario ea quæ in confuso audit, ita ut bene percipiat ea quæ dicuntur. *S. Lig. ibid.*

## CASUS IX.

### ANCILLA RECITATIONIS SOCIA.

NICON, Parochus, ex devotione majori, incommodoque minori, alternatim cum socio aliquo Officium divinum recitare solet. Cum autem sæpe deficiat alter Clericus, Horas legit cum *laico*, scilicet *Titio*, *sacrista*, qui non intelligit quid ipse proferat nec attendit quid a Sacerdote proferatur. Imo, deficiente *sacrista*, cum MARTHA, ancilla rite edocta, et proprio Breviario instructa, chorum instituit, et, alternatim recitando, diurnum pensum persolvit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An, bonus NICON valide et licite cum laico et cum femina recitaverit?

2<sup>o</sup> An tenearis socium adhibere, etiam laicum vel mulierem, si solus Officium recitare non valeas?

SOLUTIO :

55. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> NICON valide recitavit Officium cum laico, quia nihil deest ad validam recitationem; neque necesse est ut socius in recitatione præcepto Ecclesiæ obligetur. Agit quoque licite *per se*, si Horas recitet cum viro pio, de modo et ordine recitandi bene instructo. *Reut. n. 262.*

2<sup>o</sup> Valide etiam Parochus Horas cum ancilla recitavit ob eandem rationem. Mulieres enim a recitatione Officii non prohibentur, siquidem Moniales obligatione illud recitandi ligantur. Non tamen laudandus est in hoc NICON noster, quia non videtur decere ut Sacerdos mulierem sociam in recitando Breviario adhibeat.

56. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Si Horas solus legere nequeas, teneris socium adhibere quando facile aliquem invenis, et commode eum adhibere potes, quia in hoc casu non datur impotentia proprie dicta ad Breviarium recitandum. Non teneris tamen aliquem stipendiò soluto requirere, quia medium esset extraordinarium. Neque teneris laicum et a fortiori mulierem sociam in hoc casu adhibere, quia nemo ad media extraordinaria et singularia adstringi debet. *V. Comp. n. 97.*

## CASUS X.

### CAUSÆ A RECITATIONE EXCUSANTES 1<sup>o</sup>.

NAZARIUS, Parochus, versus mediam noctem ad ægrotum administrandum advocatus, recordatur se Vesperas non recitavisse, easque omittit, ut ægrotò succurrat. Idem non raro totum prætermittit. Officium ob urgentes occupationes, v. g. ad confessiones excipiendas in vigilia vel die festo, tempore Missionis, etc. Iterum, Officium quoque omittere solet ex mediocri dolore capitis, etc.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> Quænam sint causæ a Breviario excusantes?

2<sup>o</sup> An NAZARIUS legitime fuerit excusatus?

SOLUTIO :

57. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Causæ a recitatione Horarum excusantes ad triplicem classem referuntur, quæ sunt :

1<sup>o</sup> Impossibilitas, sive physica sive moralis, quæ consistit in difficultate valde gravi Officium persolvendi; 2<sup>o</sup> caritas erga proximum, id est, gravis et repentina occupatio, quæ sine detrimento proximi omitti nequit; 3<sup>o</sup> dispensatio legitima, seu a legitimo Superiore, cognita causa, concessa. *V. Comp. n. 95.*

58. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> NAZARIUS sane legitime excusatus fuit ratione